



Disputatio juridica inauguralis de emptionis & venditionis contractu

<https://hdl.handle.net/1874/340699>

24

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIS,
DE
Emptionis & Venditionis
Contractu.

Q U A M
DIVINO NÜMINIS AUSPICIO
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Dignissimi,
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimi
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU LICENTIATUS,
Et summis in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

JOHAN CABELIOU, Haga-Batavus.

Ad diem 3. August. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clc lcc Lxxxvii.

*Nobilissimis Gravissimis Viris ac
Dominis,*

D. JOHANNI CABELIOU,
Patri suo Filiali debito amore
prosequendo.

D. JOHANNI REYNST,
Domino de DRAKESTEYN,
avunculo suo quam plurimum
venerando,

UT ET

D. ANDRÆE BERNARD,
Societatis Indiæ Orientalis
præfecto, avunculo suo quam
plurimum venerando.

Hanc Inauguralem Disputationem

D. D. D.

JOHAN CABELIOU, A. & R.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS.

DE

Emptionis & Venditionis
Contractu.



Contractus est conventio, habens certum nomen vel causam, sua natura obligationem ad agendum efficacem producens: Contractus ineuntur re verbis litteris, Consensu: Atqui hic speciem ex ultimo genere Contractuum tractare præcepimus in quo Emptionis & Venditionis Contractus videtur excellere adeoque Emptionis & Venditionis definitionem ne illotis manibus rem aggrediamur præmittemus.

THESIS. I.

Emptio & Venditio est Contractus consensu initus quo venditor obligatur ad rem tradendam, Emptor verò ad prætium dandum. Dicitur *Contractus* & quidem Consensu initus, quia ad hujus Contractus perfectionem tan-

4 DISPUTATIO JURIDICA

tum Emptoris & Venditoris desideratur Consensus, unde Colilgi potest quod hic Contractus subsistat etiam si pretium non sit numeratum neque arha data *princip. Inst. b. t.* dicitur porro quo Venditor & Emptor obligatur, quia tam Emptor quam Venditor, postquam hunc Contractum inierunt, ita tenentur ut invito altero nemini recedere liceat, etiamsi venditor Emptori duplum vellet offerre, vel Emptor arrham datam amittere *l. 6. C. de rescind. vend. Ratio* inde deducitur quia Contractus qui antea sunt voluntatis postea fiant necessitatis *l. 5. C. de O. & A.*

I I.

Porro ad hunc Contractum ineundum duæ requiruntur personæ nimirum emptor & venditor in utraque persona hæc duo requiruntur. Primo ut possint Consentire quia Essentia hujus Contractus in Consensu Consistit 2. ut liberam habeant bonorum suorum administrationem. Quibuscunque unum eorum requisitorum deest, illi prohibentur celebrare eum Contractum talis ergo persona est furiosus, pupillus sine autoritate tutoris & curatoris: item hi ipsi tutores si velint rem pupillorum emere, nam metuitur suspicio fraudulentæ administrationis *l. 34. §. 7. ff. de Contrahend. Emp. & Sc.*

I I I.

His personis itaque præmissis videamus quæ res emi & vendi possint & placet eas emi & vendi posse quæ sunt in Commercio *l. 34. §. 1. ff. b. t.* quales sunt præsentis & futuræ fructus nascituri *l. 8. ff. b. t.* Corporales & incorporeales

porales alca, & jactus retis &c. *l. 8. ff. h. t. l. 12. ff. de Act. Emp.* propriæ & alienæ & aliæ similes quorum longiorem facere catalogum non est opus.

I V.

Alienam rem vendi posse constat ex *l. 28. ff. de contr. emp.* Quamvis res aliena oppignorari non possit. *l. 6. C. si aliena res.* Ratio differentiæ est quia venditor tantum personam suam obligat ad rem tradendam, vel ad interesse, si res tradita evincitur. *l. 60. § 70. ff. de evict.* & ad emptorem non transit dominii jus, nisi vel propriam venditor rem tradat, vel nisi emptor rem alienam usu ceperit, alioqui transire sufficit vacuam possessionem. *l. 3. ff. de act. empt.* donec res evincitur sed pignore non vacua rei alienæ, possessio debet transire, sed ipsum jus reale pignoris, in re propria debitoris §. 7. *de act. junct. d. l. 6.* datur emique pignus; securitatem resque ipsa non tantum persona ibi obligatur.

V.

Hujus Contractus essentialia in tribus consistunt, nimirum consensu pretio & mercede. Consensus in hoc Contractu debet esse liber *l. 9. ff. h. t.* inde quærunt interpretes an Emtio & Venditio dolo inita valeat? Quod negandum puto quoniam consensu nihil magis contrarium est quam error *l. 5. C. de rescind. vind.*

V I.

Jam de pretio agendum quia nulla Emtio sinè præ-

6 DISPUTATIO JURIDICA

tio esse potest illudque primò debet esse certum. Certum prætium dicitur quod est determinatum, vel à personis Contractum ineuntibus vel ab alia quavis persona: Secundo debet consistere in numerata pecunia, inde quærunter interpretes an non in alia re possit consistere pretium quod Sabinus & Cassius affirmare videntur, argumentoque utuntur Græco Poëta Homero qui aliquam partem exercitus archivorum permutatis quibusdam rebus sibi comparasse ait. Proculus in contraria est opinione dicens permutationem esse speciem Contractus, ab Emptione & Venditione separatam §. 2. *Inst. b. t.* Tertio debet esse justum: illud autem prætium dicitur justum per quod nec Emptor nec Venditor ultra dimidium læditur, quamvis Contrahentibus in prætio se circumvenire liceat *l. 16. §. 4. ff. de minor.* quarto & ultimo debet esse verum unde sequitur quod prætium in uno nummo non possit consistere *l. 46. ff. locati.*

V I I.

Tertium Essentiale in merce Consistit, illaque ita debet esse comparata, ut 1. emptori possit utilitatem afferre 2. ut sit in Commercio ejus unde sequitur res sacras religiosas & publicis usibus destinatas non posse emi & vendi, quia sunt extra Commercio *l. 34. §. 1. ff. de Contrahend. Empt.*

V I I I.

Restat ut videamus quibus modis emptio & venditio contrahatur & placet tribus modis eam Contrahi 1. Pure cum nimirum simpliciter res venditur. 2. Conditionaliter

ter veluti stichus intra centum dies tibi placuerit erit tibi emptus centum aureis. 3. In diem cum nimirum certus dies apponitur quo pecunia solvatur vel quod promissum est fiat.

I X.

Perfecta itaque, emptione & venditione periculum & Commodum rei venditæ pertinet ad Emptorem *l. 7. § 8. de peric. § Com. rei vend.* periculi nomine huc venit omne damnum Corruptio & deterioratio rei Commodi verò nomine omnis accessio, fructus, partus ancillæ. Quandoque tamen periculum rei venditæ ad venditorem pertinere Contingit veluti si tale pactum conventum sit. *l. 23. ff. de R. I.* vel etiam res venditoris culpa lata aut levi perierit. *l. 12. & 14. ff. de peric. § com. rei vend.* ut & si venditor in mora tradendi sit. *l. 4. C. b. t.* dantur ad huc plures casus quibus periculum ad venditorem pertineat quos hic non enumerabimus. Quoniam casus dicti sufficient:

X.

Ex Emptione & Venditione perfecta nascitur actio quæ vocatur actio Empti & Venditi. Quarum prima est actio bonæ fidei personalis competens Emptori ejusque hæredi *l. 13. §. 25. ff. de act. empt.* adversus venditorem ejusque hæredem ad hoc, ut res vendita cum fructibus accessionibus & omni causa Emptori, modo de pretio satisfecerit, tradatur. *l. 13. §. 10. § 12. ff. de act. empt.* Altera venditori, adversus Emptorem, competit ad pretium petendum nec non ad usuras à tempore moræ & ad sumptus in
rem

rem factos præstandos ut at ad cætera quæ ex bono & aquo venditori debentur. *l. 13. §. 18. 19. § seq. ff. de act. Empt.*

X I.

Ultimo loco nobis videndum erit quomodo Emptio & venditio perfecta iterum resolvatur & resolvitur primò utriusque consensu *§. ult. inst. quib. mod. obligat. tollit.* ut & si ultra dimidium Emptor vel venditor læsus fuerit quo casu desideratur ut prætii iniquitas corrigatur usque ad veram rei æstimationem *l. 2. C. de rescind. vend.*

X I I.

Perfecta emtione resolvitur etiam utriusque ad resolvendum consensu. *§. ult. I. quib. mod. toll. oblig.* Etiam ob justum metum emtori vel venditori ut emtio venditio fieret, illatum, *l. 1. § 8. C. de rescind. vendit.* Denique resolvitur ob pactum de retro vendendo. *l. 2. C. de pact. int. emtor.* si verò incepta est emtio, nondum planè perfecta, quod sub dispendio arrharum, ab ea tunc jure Romano recedere altero invito liceat, id docet imperator *1. pr. I. h. tit.* Plura non addo : Ne enim longius progrediar suadet tempus brevius.

F I N I S.